

narie etatis. Octavo denique, & ultimo approbamus, confirmamus, & pro semper validamus declarationem a dicto Vicario Generali prima die Februarii 1643. qua declarat, quod si aliqua a se, vel suis Successoribus incaute effluerint, aut effluent, quae mandatis, praecipis, gratiis, privilegiis, favoribus, immunitatibus, ordinationibus ipsi Commissario, ejusque Successoribus, aut ipsi Reformationi in favorem, & bonum dictae Reformationis, sive in generali, sive in speciali, & quomodocumque semel factis, seu concessis, directe, vel indirecte adversentur, illa esse subreptitia, nulliusque roboris, non obstantibus quibuscumque in contrarium allegatis, aut allegandis, omniaque contra tenorem harum praesentium facta, aut quovis modo obtenta, aut obtinenda, nisi antea auditis partibus, & coram Nobis, vel Reverendissimo Generali contestata, nulla, & irrita facimus. In quorum fidem &c. Datum Romae in Palatio nostro die prima mensis Martii 1643.

M. Cardinalis Ginnetus Vicarius Proceptor.

Fr. Albertus Massarius Vicarius Generalis Apostolicus Carmelitarum.

Felix de Luco Secretarius.

§.3. Ordinationes vero praesentatas pro firmiori observantia regularis stabilimento, illarumque faciliori executione, ac pro compescenda nonnullorum dicti Ordinis Religiosorum dictae Provinciae erga Superiores majores rebellione, nimiaque libertate, necnon dicta regularitate in eadem Provincia tuenda, ac promovenda per Nos confirmari expediat.

§.4. Idcirco Nos felici, prosperoque ejusdem Provinciae statui prospectum esse cupientes, supplicationibus humiliter hac in parte Nobis porrectis inclinatis, Ordinationes praesentatas, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§.5. Decernentes praesentes validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illae concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 24. Febr. 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXVIII

Indultum nominandi ad Ecclesias, & Monasteria Britanniae, & Provinciae Provinciae Regi Christianissimo conceditur.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM nonnulli Romani Pontifices Praedecessores nostri aliquibus Francorum Regibus Christianissimis eorum praecleara in Apostolicam Sedem, merita jus nominandi personas idoneas ad Cathedralis, & Metropolitanas Ecclesias, ac Monasteria in Ducatu Britanniae, & Provinciae Provinciae, quorum ipsi Reges Domini in temporalibus existebant pro tempore vacantia ad cujuslibet distorum Regum vitam reservaverint, concesserint, & indulerint, prout in diversis eorumdem Praedecessorum, ac nominatim fel. rec. Leonis X., Julii III., Pii IV., Sixti V., Clementis VIII., Pauli etiam V. expeditis Literis plenius continetur.

§.2. Nos, qui Majestatem tuam ob eximiam ejus indolem, ex qua spem concepimus indubiam fore, ut succedentibus tibi benedicente Domino annis praesertim sub egregia charitima in Christo filiae nostrae Annae Francorum Reginae Christianissimae Viduae Genetricis tuae directione, & regimine, non minore, quam cl. mem. Reges eorumdem Francorum Christianissimi Progenitores tui pietate, religionis zelo, ac in Nos, & Apostolicam Sedem observantia, aliisque Christianissimo Rege dignis virtutibus praesulgeas, specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequimur, singularum Literarum praefatarum tenores, ac datas perinde, ac si ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, ac singulorum Praedecessorum nostrorum praefatarum vestigiis inherentes, motu proprio, ac ex certa scientia nostris deque apostolica potestatis plenitudine, Majestati tuae quoad vixeris jus nominandi Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris personas probatas boni nominis, ac secundum Sacrorum Canonum dispositionem idoneas ad quascumque Cathedralis, & Metro-

Transumptis etiam mandat.

Datum die 24. Febr. 1644. An. XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnulli Pont. jus nominandi ad Metropolitanas, & Cathedralis Ecclesias in Ducatu Britanniae, & Provinciae Provinciae Reg. Christianissimo concesserunt.

Quod Pontifex Regi pro tempore existenti constituit.

Metropolitanas Ecclesias, ac Monasteria quorumcumque Ordinum, de quibus consistorialiter disponi consuevit in Ducatu Britanniae, & Provinciae Provinciae praefatis consistentia, quoties illa quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, apud Sedem eandem vacare contigerit per Nos, & Successores praefatos ad nominationem hujusmodi Ecclesiarum, & Monasteriorum praefatis praeficiendas, tenore praesentium, prout in Literis praefatarum nostrorum Praedecessorum reservamus, concedimus, & assignamus.

§.3. Decernentes jus nominandi hujusmodi ad Ecclesias, & Monasteria praefata, tibi quoad vixeris competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendendi, vel ei quovis modo, & ex quacumque causa derogari, & si ei derogari contingat, minime suffragari posse; Et nihilominus quascumque Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi, provisiones, commendas, & alias de eis dispositiones, etiam cum juris nominandi hujusmodi derogatione contra eorumdem praesentium tenorem, etiam per Nos, & Successores praefatos, & Sedem, eandem absque tuis nominationibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, quoquo modo pro tempore faciendas, ac desuper consiciendas Literas, ac inde sequuta quocumque nulla, & invalida, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, teque ad docendum de Literis praefatis, seu illas ostenden., & in eis contenta quocumque justifican. minime teneri, sed eisdem praesentibus tantum uti posse, illisque tam in iudicio, quam extra illud stare debere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus Ecclesiarum, & Monasteriorum praefatarum reservationibus, seu affectionibus Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, & Sedem eandem quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon Cancellariae Apostolicae regulis, editis, & edendis, ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, illorumque Ordinum, necnon Ducatus, & Provinciae praefatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & Literis Apostolicis etiam quasc-

vis clausulas, & reservationes in se continentibus per eosdem Praedecessores, ac Nos, & Sedem eandem Ecclesiarum, & Monasteriorum, illorumque Capitulis, Conventibus, & Ordinibus, ac Ducatui, & Provinciae praefatis, eorumque Communitatibus, Universitatibus, & personis, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, harum serie specialiter, et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, quod infra sex menses a die vacationis Ecclesiarum, et Monasteriorum hujusmodi computan. personas idoneas Nobis, et pro tempore existenti Romano Pontifici pro collatione, provisione, seu commenda obtinenda nominare omnino tenearis, et ad Monasteria hujusmodi in titulum concedi solita, clerici seculares, vel alterius, quam Monasterii ad quod eos per te nominari contigerit Ordinis regulares nominandi, habitumque per Fratres, seu Monachos illius Monasterii gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem Fratres, seu Monachos emitti consuetam expresse emittente teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis de Ecclesiis, seu Monasteriis, ut praefertur, vacan. per Nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem, libere disponi possit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die septima Martii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

DCCLXXIX.

Deputantur Governatores Perusini, Urbevetae, & Legati Ferrariensis ad recipienda Loca Status Ecclesiastici occupata occasione nuperi Belli.

Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Urbinaten, Civitatis Perusini, ac Provinciae nostrarum Umbriae Governatori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Fratri salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM dilectus filius nobilis Vir Ferdinandus Magnus Dux Etruriae

Declarat, quod hujusmodi nominatio intra sex menses a die vacationis fieri debeat.

Datum die 7. Martii 1644. An. XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Motiva.

Petitur illorum confirmatio.

Confirmatio Pontificis.

Clausulas necessarias apponit.

Contraria tollit.

Clausulas ad id necessarias apponit.

Contraria derogat.

riae sibi subiecta Civitatem Plebis, ac Terram Castilionis ad Lacum Trasimenum, & quaecumque alia Loca Status nostri Ecclesiastici, ab eius exercitu, & Militibus occasione nuperi contra Statum Ecclesiasticum praedictum belli occupata, Nobis, & huic S. Sedi Apostolica, juxta capitula inter Nos mediante dilecto filio nostro Joanne Stephano S. R. E. Diacono Cardinale Dongho nuncupato Plenipotentiario nostro, ac charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Franciscum Regem Christianissimum, mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S. Sabinae Presbytero Cardinali Bichio nuncupato suo Plenipotentiario, necnon dilectos pariter filios nobiles Viros Ducem, & Rempubicam Venetiarum, ac Ferdinandum Magnum Ducem praedictum, & Franciscum Mutinae Ducem, mediantibus quoque suis Plenipotentiariis stabilita, et die trigesima prima Martii praesentis Anni 1644. per dictum Joannem Stephanum Cardinalem Ferrariae per dictos vero Ludovici Regis, ac Reipublicae, Ferdinandique Magni Ducis, & Francisci Ducis Mutinae praedictorum Plenipotentiarios Venetiis subscripta restituere debeat.

§.2. Idcirco Nos de tua fide plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostra Apostolica, tenore praesentium te constituimus, & deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas, quot opus fuerit a te deputandam, seu deputandas Civitatem Plebis, ac Terram Castilionis, aliaque Loca in Provincia nostra Umbriae existentia, ut praemittitur occupata, cum omnibus, & singulis Bombardis majoribus Artilleriae vulgo nuncupatis, ceterisque armis, quae in eadem Civitate, ac Terrae, aliisque Locis praefatis tempore, quo, ut praefertur, occupata fuerunt, existebant, Nostro, & Sedis praedictae nomine in executionem dictorum Capitulorum recipias, ac de receptis, confessiones, & quietantias facias, super quibus tibi quaecumque necessariam, & opportunam facultatem concedimus, & in pertinemur.

§.3. In contrarium facien. Non obstantibus quibuscumque.
Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Sequitur eadem Deputatio in personam Gubernatoris Urbini.

Dilecto filio Civitatis nostrae Urbinae, illius Comitatus, & districtus Gubernatori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM dilectus filius Nobilis vir Ferdinandus Magnus Dux Etruriae sibi subiecta quaecumque loca Status nostri ecclesiastici, ab eius exercitu

Deputatio, de qua in Rubrica, in personam Gubernatoris Urbini.

Contrarium derogatio.
Datum die 6. Aprilis 1644. An. XXI.

Motiva.
* Sic

deputandam, seu deputandas quaecumque loca in Comitatu, districtu, & Territorio nostris Urbeventan. existentia, ut praemittitur occupata, cum omnibus, & singulis Bombardis majoribus, ceterisque armis, quae artilleriae vulgo nuncupatis, in eisdem locis, tempore quo, ut praefertur, occupata fuerunt, existebant &c. reliqua ut in praecedenti.

Datum &c.

Sequitur delegatio Vice-Legati Ferrariensis.

Dilecto filio nostro, & Apostolicae Sedis in Civitate, & Ducatu nostris Ferrariae, de latere Legati Vice-Legato.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM dilecti filii Nobiles Viri Dux, & Respublica Venetiarum ac Odoardus Farnesius Dux Parmae, & Placentiae quaecumque loca Status nostri ecclesiastici, & nominatim Bondeni, & Ostellatae Terras ab eorum exercitibus, & militibus respective occasione nuperi contra Statum ecclesiasticum praedictum belli occupata, Nobis, & huic Sanctae Sedi Apostolicae juxta Capitula inter Nos, mediante dilecto filio nostro Joanne Stephano S. R. E. Diacono Cardinale Dongho nuncupato Plenipotentiario nostro, ac Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Franciscum Regem Christianissimum mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S. Sabinae Presbytero Cardinale Bichio nuncupato tunc plenipotentiario pro eodem Odoardo Duce, necnon etiam Ducem, & Rempubicam Venetiarum praedictos, ac dilectos pariter filios Nobiles viros Ferdinandum Magnum Ducem Etruriae sibi subiectae, & Franciscum Mutinae Ducem, mediantibus quoque suis Plenipotentiariis stabilita, & die trigesima prima Martii praesentis Anni 1644. per dictum Joannem Stephanum Cardinalem Ferrariae, per dictos vero Ludovici Regis, ac Reipublicae, Ferdinandique Magni Ducis, & Francisci Ducis Mutinae praefatorum Plenipotentiarios Venetiis subscripta restituere debeant.

§.2. Idcirco Nos de tua fide, plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium te constituimus, & deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas quot opus fuerit a te deputandam, seu deputandas, Loca, & Terras praedicta cum omnibus, & singulis Bombardis majoribus Artilleriae vulgo nuncupatis, ceterisque armis, quae in locis, terrisque praedictis tempore quo, ut praefertur, occupata fuerunt existebant Nostro, & Sedis praedictae nomine in executionem dictorum Capitulorum recipias, ac de receptis confessiones, & quietantias facias super quibus tibi quaecumque

Motiva.

Alia deputatio in personam Vicelegati Ferrariae.

quaeque necessariam, & opportunam facultatem concedimus, & impertimur in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Datum &c.

DCCLXXX.

Ex Regest. in Secret. brev. Erectio Confraternitatis in Ecclesia Cappella nuncupata Palatii Caesarei Viennae.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PASTORIS aeterni, qui pro Gregis salute in Ara Crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in Terris, pia Christianissimum praesertim Regali Dignitate fulgentium, vota divini cultus augmentum, & ipsorum fidelium salutem, concernentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosque fideles ad pia, & devota opera exercenda Indulgentiis Peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum hujusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

§.1. Cum itaque sicut pro parte Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Romanorum Reginae Illustris in Imperatricem electae Nobis nuper expositum fuit, ipsa pro eo, quem erga Sanctum Franciscum Xaverium gerit devotionis affectu, in Ecclesia Cappella nuncupata Palatii Caesarei Viennae, Austriae, unam piam, & devotam, Confraternitatem, quae ex personis Charissimae in Christo filii nostri Ferdinandus Romanorum Reginae Illustris in Imperatorem electi, ac dilectae Mariae Reginae in Imperatricem electae, necnon dilectorum filiorum Nobilium Puerorum, ac dilectarum in Christo filiarum Nobilium Puellarum ipsorum natorum, & natarum, necnon dilecti filii Nobilis viri Leopoldi Guilielmi, ex Archiducibus Austriae Fratris Germani, ac etiam Nepotum ejusdem Ferdinandus Regis in Imperatorem electi; Matronarumque, & Damigellarum titularum ejusdem Palatii nunc, & pro tempore existentium constet sub invocatione, ejusdem Sancti Francisci Xaverii, cujus quaedam sacrae, ut pie creditur, reliquiae in eodem Palatio honorifice asservantur, ad Dei gloriam, animarumque suarum salutem per Nos erigi summo opere desiderant.

§.2. Nos pijs ejusdem Mariae Reginae in Imperatricem electae desideriis hujusmodi benigne annuere, animarumque salutem paternam charitatem prospicere cupientes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; in praedicta Ecclesia Cappella nuncupata, unam personarum praedictarum dumtaxat Confraternitatem sub invocatione praedictae, sine alicujus praedicti, & dummodo Venerabilis Fratris Episcopi Viennae, expressis ad hoc accedat assensus apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo erigimus, & insitimus.

§.3. Necnon Confratribus, Conforori-

busque praedictis, ut pro negotiis ipsius Confraternitatis se congregare, & quaecumque statuta, capitula, ordinationes, & decreta pro salubri eorum, & dictae Confraternitatis regimine, & directione necessaria, & opportuna, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria, per Ordinarium Viennae, examinanda, & approbanda facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit pravia simili examinatione, & approbatione mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare, ac insuper omnia, & singula legata, relicta, res, & bona, quomodolibet qualificata, mobilia, & immobilia, per quoscumque Christianos fideles dictae Confraternitati per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore largienda, & relinquenda recipere, illaque per eorum Officiales, & Deputatos regere, gubernare, & administrare, ac in ipsius Confraternitatis, & ejus piorum operum usus convertere, libere similiter, & licite valeant, ita tamen, ut de receptis, & administratis per eos eidem Ordinario juxta decreta Concilii Tridentini hujusmodi rationem reddere teneantur, auctoritate, & ten. praedictis concedimus, & indulgemus.

§.4. Postremo ut eximia ipsorum Ferdinandus Regis in Imperatorem electi, & Mariae Reginae in Imperatricem electae, suorumque Natorum, & Natarum, Leopoldique Guilielmi, & Nepotum praedictorum in Deum pietas, dictaque Confraternitas majora in dies suscipiant incrementa. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis personis supra expressis, quae dictam Confraternitatem in posterum ingredierint die primo eorum ingressus si vere poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperint plenariam, necnon tam pro tempore descriptis in dicta Confraternitate in cujuslibet eorum mortis articulo si vere poenitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, ac Ferdinandus Regi in Imperatorem electo, & Mariae Reginae in Imperatricem electae, eorumque filijs, & filiabus, dictoque Leopoldo Guilielmo Fratri, & Nepotibus ejusdem Ferdinandus Regis in Imperatorem electi nunc, & pro tempore existentibus etiam vere poenitentibus, & confessis, ac eadem Sacra Communione refectis qui semel qualibet hebdomada; Matronis vero, & Damigellis titularis dicti Palatii in eadem Confraternitate pro tempore descriptis similiter vere poenitentibus, & confessis, ac eadem Sacra Communione refectis, quae quinquies in anno, necnon personis supra expressis, ceterisque utriusque sexus Christianissimilibus itidem vere poenitentibus, & confessis, ac eadem S. Communione refectis, qui

Facultates ad id opportunae conceduntur.

Indulgentia plenaria eadem Conf. at. ingre- dientibus conceditur.

qui in die festo d. S. Francisci Xaverii, seu eo die infra octavam festi huiusmodi, quo illius Festivitas in Ecclesia, seu Cappella huiusmodi celebrabitur, singulis annis dictam Ecclesiam, seu Cappellam devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haereticum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Necnon quibusvis utriusque sexus Christianis familiaribus eiusdem Palatii, ut etiam si tempore quo celebrabitur festivitas huiusmodi infirmitate detenti dictam Cappellam visitare nequiverint, nihilominus, si ut praefertur confessi, & Sacra Communione refectioni fuerint, eandem Indulgentiam Plenariam, etiam in lecto conficti consequantur, indulgemus. Insuper dictis confratribus, & consorioribus Confraternitatis huiusmodi quoties aliquod pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet opere huiusmodi centum dies de iniunctis eis, vel aliis quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si dicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniat, seu etiam quomodolibet instituat, praesentes, & quavis aliae Literae Apostolicae, illis nullatenus quoad indulgentias, & remissiones praedictas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nulle sint.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 20. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCCLXXXI.

Extensio Constitutionis, Alias a Nobis &c. ad Provincias S. Iosephi, ac Indiarum. Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, scilicet quod in Processionibus competit eis dignior locus supra Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini.

De hac Materia lege Constitutionem Ex incumbenti, Constitutionem Alias, & Constitutionem Exponi Nobis, ut supra.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Materia huius Condit.

§. 1. CUM, sicut dilectus filius Paulus a Matrino Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum Professor, & in Romana Curia eorumdem Fratrum Provincia S. Iosephi Procurator, & filius Nobis nuper exponi fecit, licet alias fel. record. Clemens Papa VIII. Praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas de anno 1602

emanatas declaraverit, Fratres Minores S. Francisci strictioris observantiae, Reformatos nuncupat., qui non novam, sed eandem Regulam, quam ipse Beatus Franciscus condidit, & similis memoriae Honorius Papa III. etiam Praedecessor noster confirmavit, quamque pariter Fratres de Familia d. Ordinis nuncupati de Observantia observant, licet ipsi Fratres Reformati regulam huiusmodi purius observent, esse veros, & indubitatos Fratres Ordinis S. Francisci, & in conscientia tutos existere, ac omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus ipsi Observantes gaudent, ubilibet frui, & gaudere posse, ac debere modo, & forma tunc expressis, mandaveritque in virtute sanctae obedientiae, ut nullus ex tunc deinceps dictos Fratres Reformatos appellare audeat, seu praesumeret novos Religiosos, aut novae Regulae Professores.

§. 2. Subindeque Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus praepositi super certis controversiis aliis excitatis inter ipsos Fratres Reformatos, necnon dilectos filios Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in quadam Provincia Hispaniae super iure praecedendi in processioneibus, & aliis actibus publicis determinaverint praecedentiam huiusmodi in concursu cum aliis Regularibus in processioneibus, & aliis actibus publicis semper competere dictis Reformatis Discalceatis, sive soli de se, & sub propria Cruce, sive sub Cruce, & cum familia de Observantia incedant, & sive Discalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati dicti Ordinis S. Francisci, necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis praerogativis in praefatis eiusdem Clementis Praedecessoris literis contentis, & expressis; & subsequenter Nos auditis hinc inde partibus decretum eorumdem Cardinalium desuper emanatum confirmaverimus, deputatis ad illius executionem certis tunc expressis personis, necnon etiam in hac materia secuta fuerint alienae sententia, seu sententiae, etiam coram aliquo nostro, & Sedis Apostolicae in Regnis Hispaniarum Nuncio ad ipsorum Fratrum Reformatorum favorem: nihilotamen minus non desint, aut dubitentur non esse defuturi aliqui aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Religiosi, qui perturbent, litibusque fatigent circa praemissa eosdem Reformatos S. Francisci, qui ob eorum paupertatem, litium dispendia, & incommoda sustinere minime valent.

§. 3. Nobis propterea dictus Paulus, Procuratoris, quo supra nomine, ac alias, ut quavis perturbationes, & inconvenientias effugiantur, humiliter supplicari fecit, ut praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Paulum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & in-

Clem. VIII. prohibuit dicere, Reformatos esse novos Religiosos.

Quod praecedentia competit Reformatis supra Augustinianis.

& interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censeantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputate voto, & scientia praefata dicti Clementis Praedecessoris, nostrisque literas, necnon ipsum eorumdem Cardinalium decretum, & sententiam, seu sententias huiusmodi circa praemissa, respective, ut praefertur, emanata, apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & insuper declaramus, quod omnes, & singuli Fratres Reformati Discalceati primodicti Ordinis S. Francisci omnium, & singularum illius Provinciarum, & Custodiarum nunc, & pro tempore existentium, & futurarum, in Regnis Hispaniarum, & partibus Indiarum semper habeantur, & teneantur, haberique, teneri, & reputari debeant pro veris S. Francisci filiis, uti sunt toto cum rigore, & puritate, quam profitentur Regulam observantes, quodque nullo quovis sub praetextu, quaevis colore, causa, vel ingenio aliis quam veri filii, & indubitati Fratres S. Francisci nuncupari, teneri, & haberi ullatenus possint, ac ut tales omnibus, & singulis gratiis, favoribus, & privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus dicto Ordini haecenus concessis, & de cetero per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem Apostolicam, ac etiam Nos concedendis fruatur, & gaudeant.

Confirmat Decretum super praecedentia.

§. 4. Quodque iidem Fratres Reformati Discalceati earundem Provinciarum, & Custodiarum semper in omnibus actibus publicis, necnon Processionum, sed etiam quarumvis aliarum functionum, eosdem locum, & praecedentiam, quos habent, & quibus gaudent ipsi Fratres Observantes primodicti Ordinis huiusmodi, cum, & sine sua Cruce, & aliis prout continetur in ipsius Clementis Praedecessoris, & nostris literis, decretoque, & sententia, seu sententiis supradictis habeant, ac desuper a quibusvis cujuslibet alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti Regularibus, praesertim vero Fratribus Eremitis secundo dicti Ordinis eiusdem S. Augustini Villae, seu Oppidi de Arenas, Abulensis Dioec., aut quarumvis aliarum Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & Locorum, in quibus ipsi Reformati Discalceati Conventum, seu locum habent, aut ubi illum non habent, dictis Processionibus, & aliis actibus publicis interveniant, molestari quoquo modo nullatenus possint.

Praeceptum de observando.

§. 5. Mandantes propterea omnibus, & singulis, quos spectat, & pro tempore Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis, necnon privationis vocis activae, & passivae, ac suorum officiorum perpetuae inhabilitatis ad illa, & alia impoerum obtinenda, aliisque arbitrii nostri poenis, ut eosdem Reformatos Fratres Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum huiusmodi omnium, & singulorum praemissorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, si utroque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque Fratribus Reformatis Discalceatis Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illae concernunt, & concernant in futurum, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictae Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique, & in quavis instantia iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Constitutio exequutores.

§. 6. Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis praefatae in eisdem Regnis Nuncio, nunc, & pro tempore exstanti, necnon Venerabilibus Archiepiscopis, & Episcopis in iisdem Regnis, & Indiarum partibus constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoribus pro parte eorumdem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum huiusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia, & singula debite, & omnimoda executioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari. Non permittentes eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum huiusmodi per ejsdem secundodicti S. Augustini, aut aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Regularis quomodolibet molestari.

Contravenitum poena.

§. 7. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut alias praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opposcentes per eandem excommunicationis, & alias poenas praefatas, ac quavis alias censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis

Clausula subla-
ta Greg. XIII.

tis processibus, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.8. Non obstantibus quibusdam etiam fel. record. Gregorii XIII. de anno 1583. Pontificatus sui anno duodecimo emanatis literis declaratoriis precedentiae inter Ordines Mendicantium, & Confraternitates servandae in processibus, necnon quatenus opus sit, Bonifacii VIII. etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium in iudicio non trahatur, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis decretis, & sententiis latis, & emanatis respective circa praemissa contra ipsos Reformatos Discalceatos primodiecti Ordinis huiusmodi per quavis Tribunalia, Curias, Iudices, aut Ministros dictae Sedi Apostolicae subiectos, privilegii quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum presentium specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi mandat.

§.9. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu aliquis Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 20.
Aprilis 1644.
An. XXI.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

DCCLXXXII.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Mandat, ut hymni emendati, sive de integro conditi Breviarii Romani, notisque musicis impressi Typis Plantinianis non vero antiqui decantentur in omnibus orbis Christiani Ecclesiis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM alias Hymni Breviarii Romani paucis exceptis, qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam, Rythmo con-

stant, iussu nostro, vel emendationibus adhibitis codicibus, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges revocari, nonnulli etiam de integro conditi dictoque Breviario auctoritate nostra recognito inserti fuerint, & ut accepimus Breviarium praedictum cum Hymnis huiusmodi a majori parte Christianissimum, qui ad illius recitationem sunt adstricti privatim ubivis terrarum recitetur. Hinc est quod Nos, qui Hymnos praedictos cum notis musicis, sive cantu, ut vocant figurato, typis Plantinianis dilecti filii Balthasar Moreti Typographi Antuerpien. exacta industria excudi iussimus ne eorum publica recitatio a privata discrepet. Cetera omittuntur, quia conveniunt de verbo ad verbum cum Constit. relata n. 749. pag. 380.

Datum &c. die 22. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXIII.

Clero Regni Poloniae facultas conceditur concurrenti cum Laicis in contributione Regi facienda.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Venerabili Fratri Archiepiscopo
Gnesnensi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod cum pro defensione Fidei Catholicae in Regno Poloniae graves expensae factae fuerint, quibus ararium publicum exhaustum est, Laici eiusdem Regni obtulerant contribuere pro eadem defensione, & a Clero eiusdem Regni petium fuit, ut in hac contributione concurrant cum Laicis praedictis, quod cum tu, & alii Episcopi eiusdem Regni sponte facere cupiatis, si Nostra, & huius Sanctae Sedis Apostolicae desuper accesserit licentia, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut licentiam huiusmodi concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Clero Regni
Poloniae delictat
com Laicis
in contributio-
ne Regi con-
currere.

§.2. Nos igitur dicti Poloniae Regni necessitatibus huiusmodi ad effectum praedictum consulere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, controversiis jurisdictionalibus praepositorum consilio fraternitati tuae per presentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus supra narratis Clero Regni praedicti, ut pro dictis necessitatibus Regni huiusmodi, & ad dictum effectum cum dictis Laicis in contributione huiusmodi sponte, tamen, & pro una tantum vice, & pro honesta portione concurrere libere, & licite possint, tuque etiam possis, & valeas, apostolica auctoritate tenore presentium, licentiam concessas, & impertiaris, ibique, ut ad exactiorem contributionis per Clerum huiusmodi faciendae per personas eccle-

Quibus Pontif.
licentiam
concedit.

Derogat obli-
tibus.

ecclesiasticas, & non alias procedere debeas eadem auctoritate committimus, & mandamus: Contradictores, ac solvere recusantes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia eadem auctoritate compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

§.3. Non obstantibus Concilii Lateranensis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Regni huiusmodi, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus etiam in corpore juris clausis, quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quavis alia expressio habenda sit in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censetur, aut derogari videatur, nisi certis modo, & forma in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi mandat.

§.4. Volumus autem, ut presentium transumptis etiam impressis manu aliquis Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa.

Datum die 27.
Maii 1644.
An. XXI.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesima prima Maii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXIV.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo primitivae Observantiae, de Monialibus supernumerariis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva huius
Constit.

CUM, sicut dilectus filius Praepositus generalis Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum primitivae Observantiae Congregationis Hispaniae, Nobis nuper exponi fecit, per Constitutiones Monialium dicti Ordinis apostolica auctoritate confirmatas disponatur, ut numerus Monialium uniuscujusque Monasterii Ordinis huiusmodi Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

viginti, & unius dumtaxat existat. Experimentia vero compertum sit, in tam exiguo numero huiusmodi, nonnulla ejusdem Ordinis Monasteria aliquibus Monialibus, vel infirmis, aut senio confectis, seu fatuis, & mente captis ad Chorum, aliaque dicti Ordinis ministeria inutilibus gravata reperiri: ex quo Observantia Regularis, ceteraque Moniales maxima plerumque damna, & incommoda patiuntur.

§.1. Proindeque in Capitulo generali dictae Congregationis novissime in Conventu S. Petri dicti Ordinis Oppidi de Pasterna celebrato, inter alia inibi edita, emanaverit decretum infra positum, quod videlicet Moniales fatuae, vel amentes per triennium confirmatae non computentur in numero viginti unius, sed aliae earum loco possint recipi, etiam numero viginti unius completo. Decretum vero huiusmodi, quo firmius subsistat, idem Praepositus generalis apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiti summo opere desideret.

Decretum Ca-
pituli Genera-
lis.

§.2. Idcirco Nos eundem Praepositum generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Praepositorum consilio. Decretum praedictum apostolica auctoritate tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiuicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplementus.

Confirmatio,
prout in subsc-

§.3. Decernentes presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illae concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irri-
tans.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter

Contrariis de-
regat.